

tari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Ipse per Apostolum suum docet unicam esse satisfactionem, quæ fit Deo pro peccato. Estq; hic præcipuus locus in epistola ad Hebræos, in qua pro conclusione disputationis dicitur. Unica enim oblatione perfectos fecit in sempiternum eos, qui sanctificantur.

Iohannes autem exponit, quomodo potuerit hac unica oblatione semel in fine seculorum peracta perfectos effecisse omnes, qui inde ab initio mundi uixerunt, & ait, eum esse illum agnum, qui occisus est ab origine mundi, & qui supplex factus est pro genere humano æterno patri, & se humiliauerit factus ei obediens usq; ad mortem.

Deinde etiam docet, quomodo illa unica oblatione sanctificet eos, qui post illam peractam nati sunt & nascentur usq; ad iudicium. Si quis, inquit, peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris: non tantum autem pro nostris, sed pro peccatis totius mundi.

Unica igitur est satisfactio pro peccato, quæ fit Deo scilicet hostia Christi, & redemptio quæ est in ipso, & propiciatio, quæ fit interueniente sanguine suo, ut ad Roman. 4. dicitur: Omnes enim peccauerunt, & destituuntur gloria Dei, Iustificantur gratis per gratiam & redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem per fi-